







III.

9

3

DISSERTATIO IVRIDICA  
SECUNDA  
DE 1752, 2  
IVRISDICTIONE  
CRIMINALI,  
SEV  
IMPERIO MERO;

QVAM  
FAVENTE D. O. M.

PRAESIDE

FRIDERICO GOTHOFREDO

I. A. F. SCHLEGTENDAL

I. V. D.

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS GVILIELMVS  
GANTESWEILER

VESALIA CLIVENSIS.

AD DIEM MENSIS AVGVSTI MDCCLII.

H. L. Q. S.

—————  
DVISBVRGI AD RHENVM,

TYPIS IO. SEB. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO IURIDICA  
SECUNDA

DE

IURISDICTIONE

CRIMINALI.

AVCTORE

IMPERIO MERO;

AVCTORE

FRANCISCO M. O. M.

RESIDENTE

FRIDERICO GOTTFRIEDO

DE SCHLEGELBACH

DOCTORE

PHILOSOPHIAE

FRIDERICO WILHELMO

GANTZWEILER

AVCTORE CIVILE

AD HOC

FRIDERICO GOTTFRIEDO

FRIDERICO GOTTFRIEDO

FRIDERICO GOTTFRIEDO





*VIRIS*  
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
*AC*  
SPLENDIDISSIMIS

DNO. IOANNI PETRO  
REIMANN,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
IN ILLVSTRI REGIMINE CLIVENSI  
A CONSILIIIS INTIMIS ETC.

DNO. IOANNI MATTHIAE  
DE FORELL,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
IN ILLVSTRI REGIMINE CLIVENSI  
A CONSILIIIS INTIMIS ETC.

COGNATIS DILECTISSIMIS  
*ET*  
MAXIME HONORANDIS;



D<sup>NO</sup>. CHRISTIAN. FRIDER.  
SOBBE,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
IN DVCATV CLIVENSI  
A CONSILIIIS BELLI ac DOMANIORVM ETC.  
VIRIS DOCTISSIMIS,  
IVSTITIA INCLYTIS,  
DE SALVTE PATRIAE OPTIME MERITIS,  
FAVTORIBVS SVIS SVMMOPERE COLENDIS;

NEC NON

D<sup>NO</sup>. CASIMIRO HENRICO  
GANTESWEILER,

IN VRBE VESALIA  
ACCISAE INSPECTORI FIDELISSIMO ETC.

P A R E N T I  
AD ROGVM VSQVE COLENDO

*HOC DILIGENTIAE SPECIMEN*


MAXIMA, QVA DECET, REVERENTIA  
AC PIETATE

DAT, OFFERT, CONSECRAT

FRID. GVIL. GANTESWEILER,

DEFENDENS  
VESALIA CLIVENSIS.





§. I.



Sicuti in antecedenti Dissertatione de  
*vocibus Imperii & Iurisdictionis  
in genere* id egimus, vt ostendere-  
mus, has voces in Iure nostro non  
nisi nominis sono re ipsa differre:  
ita hic ostendendum erit, non  
aliam earum in suis speciebus esse rationem; quem  
in finem in has ipsas priori loco erit inquirendum.

§. II.

Iurisdictionis sc. eodem sensu dividitur in Crimi-  
nalem & Civilem, quo Imperium dicitur esse vel Me-  
rum vel Mixtum. De Iurisdictione Criminali, vt  
prius agamus, notandum est, quod hanc ex natura  
communi Iurisdictionis possimus appellare notionem  
cum decernendi & exsequendi potestate in causis cri-  
minalibus magistratui competentem. Hanc veteres  
appel-



appellauere Merum Imperium. Quod vt probetur, accuratius consideranda erit prae caeteris *L. III. D. de Iurisd.* quo textu Vlpianus illud describit hisce verbis: *Merum est Imperium habere gladii potestatem ad animadvertendum facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur.* Vt igitur de Meri Imperii natura magis constet: singula haec verba accuratius erunt consideranda.

§. III.

Quod itaque primo ad ipsam definitionem attinet, dicitur Merum Imperium *habere gladii potestatem.* Videtur sc. ICTus noster hic vti definitione per exemplum; & quidem hoc petit a tali poena, quae tunc in capitalibus maxime erat vsitata. Etsi enim antiquissimis temporibus deiectio de Saxo Tarpeio, qua etiam M. Manlius Capitolinus vir Consularis punitus, fuerit valde vsitata; & dein in eius locum strangulatio poena Lentuli Praetoris Catilinae focii apud Sallustium *Bello Catilin. C. LV.* successerit; his tamen temporibus, quibus ICTi nostri vixere, maxime vulgaris erat capitis amputatio; quae tamen ipsa videtur honoratior fuisse, si gladio quam si securi fieret. vid. Spartianus *in Carac. Cap. IV.* Caetera antiquissimis etiam temporibus amputationem capitis verum per securim factam in vsu fuisse constat e poena coniuratorum pro Tarquiniis reducendis. Vocat itaque ICTus Merum Imperium gladii potestatem, quia tunc temporis hoc teli genere vt plurimum utebantur ad facinorosos e medio tollendos. Atque ita hoc verbum quamcunque vltimi supplicii speciem significat.



gnificat in *L. VI. pr. D. de off. Proc. vbi gladii potestas a quacunq[ue] coercitione & L. VI. §. 8. D. de off. Praes. vbi ius gladii a potestate dandi in metallum discernitur*. Neque tamen hic tam arctis cancellis haec vox includenda videtur: vt solum vltimum supplicium ea contineatur. Aliud enim suadent *L. I. §. vlt. §. 1. D. de off. eius, cui mand.* in cuius prioris capituli pr. recensitis variis Iudiciorum Publicorum non capitalium speciebus, haec omnia in §. 1. ad solum Merum Imperium referuntur & *L. vlt. §. 1. eod.* sola modica coercitio omni Iurisdictioni cohaerens ad *Imperium non merum* refertur.

§. IV.

§. *Praeced.* ostendimus, non esse verosimile sola crimina capitalia ad Merum Imperium pertinere. Hac §. accuratius ex hoc nostro capite videbimus, quem terminum hoc Imperium adgnoscat. Habet nempe magistratus hanc gladii potestatem, *ad animaduertendum facinorosos homines*: Etsi vero *animaduertere* aliquando idem sit, quod vltimo supplicio punire vt apud *Liuium Lib. XXVI. cap. 16.* attamen haec significatio non adeo frequens est; neque fere nisi tunc occurrit, cum in antecedentibus aut sequentibus capitalis supplicii, ad quod referatur, sit mentio. Plerumque autem denotat criminalem quamcunq[ue] persecutionem, quo sensu Legato denegatur in *L. XI. D. de off. Proc.* aequae ac in *L. I. §. 1. D. de off. eius, cui mand.* immo ratione cuiuscunq[ue] iudicii criminalis solo ciuili excluso hac voce vtitur *Vlpianus L. vlt. D. de furt.* atque his terminis iudicii sc, criminalis



contineri Merum Imperium: tam vox *animaduertendi* docet, quae in ciuilibus poenis non ita adhibetur; quam verba consequentia *facinorosos homines*. Cum enim facinus omne id vocetur, quod male factum poenam meretur, non vero in omnes tales gladio animaduerti soleat; apparet, gladii potestatem hoc loco quamcunque criminalem animaduersionem comprehendere, quo sensu quoque illam vocem vsurpare videtur Paulus Apostolus in *Epist. ad Rom. Cap. XIII. §. 4.* atque sic satis probatum videtur, omnem criminalem animaduersionem in Mero Imperio contineri.

§. V.

Addit Vlpianus, hoc Merum Imperium etiam *potestatem* appellari. Quotuplici significatione vocabulum potestatis veniat, *L. CCXV. D. de V. S.* satis indicat, quae tamen addit in persona magistratuum hac voce denotari Imperium. Caetera latiori sensu quoque haec vox a plurimis adhibetur. An a ICTis nostris municipalibus magistratibus data fuerit ex *L. vn. D. si quis Ius dic.* non ita constat. Id certum est Tribunitiae potestatis saepissime fieri mentionem, quibus tamen Imperium neutiquam tribuitur. Immo in Imperatorum titulis *Imperium Proconsulare* opponitur Tribunitiae potestati in Capitolini *Anton. Pio Cap. IV.* immo etiam Tribunis militum potestas aequae ac magistratus generaliter tribuitur a Sallustio *Bello Iugurt. §. 413.* Aequae igitur constat, non tantum in ciuilibus causis eo verbo saepissime vsos verteres, sed praeterea in *L. I. D. quod quisque iur.* illud



illud magistratui semper postponi, raro autem vel nunquam pro solo Mero Imperio vsurpari. Nisi itaque velis, arctissimo sensu hic eo verbo vsu Vlpianum, dicendum erit: & hic subintelligi verbum *gladii*, quasi Vlpianus diceret, *quod etiam simpliciter gladii potestas appellatur*. Quod si placeat, conferenda ea, quae §. *praeced.* praecipue ex Pauli *Epist. ad Rom.* allegauimus. Videtur tamen Ius gladii, potestas simpliciter appellari apud Lampridium *Alex. Seuer. C. 49.* dicentem *Honores IURIS GLADII nunquam vendi passus est, dicens necesse est, ut qui emit, vendat, ego non patiar mercatores POTESTATVM caet.* Nisi ibi verbum potestatis generalius sit eo Iuris Gladii, vid. & *Capitol. in Gord. Maior. Cap. IX.* vbi *Gladii potestas* occurrit.

§. VI.

De Voce *Meri Imperii* iam in *praeced.* *Diss.* notauimus, illam ab Imperio improprie ac strictiori sensu dicto deriuari. Noodt *de Iurisd. & Imp. Lib. I. Cap. 4.* censuit, illud *merum* appellari, quia est vehementius, atque eo sensu hoc verbum apud veteres venire praecipue auctoritate Sidonii Apollinaris *Lib. IV. Epist. 1.* probat. Neque negare licet, saepe quamuis improprie hoc verbo ad vehementiam denotandam illos vsos fuisse, sed hoc plerumque sensu si res ipsa, quo purior ab aliorum admixtione, eo etiam esset vehementior; quo modo vinum merum quoque vehemens vocari potest, quia sine omni aquae admixtione. Vehementiam itaque non aliter indicabit Merum Imperium, quam si illud sit ab alterius



rius rei admixtione purum. Neque vel minimum obstat, ne Merum Imperium purum vocare possimus, sc. ab omni admixtione Iurisdictionis strictae & abusiue sic dictae.

§. VII.

Nam hoc ipsum optime veritati conuenire docent. *L. XII. D. de Iurisdic.* quo textu magistratibus municipalibus denegatur supplicii a seruo sumendi potestas. Etsi vero *d. L. XII. modica castigatio* iis sit permixta in seruos; & haec utique criminalem aliquam persecutionem continere videatur: haec tamen ipsa in *L. XV. §. 38. de iniur.* suae solum modo Iurisdictionis vindicandae causa eis permittitur, de qua specie forte etiam agit *L. XVII. §. 2. D. eod.* Etsi vero hae castigationes in seruos utique criminales non ciuiles sint, eo magis tamen magistratibus municipalibus concedi poterant, quia & domino etsi priuato in seruuum licebant. Immo ipsa necessitas cogebat, in seruos hanc eis dari potestatem, quia plurima eorum delicta poena corporali puniri poterant, si dominus pecuniam dare nollet. Adeoque seruorum castigatio cum saepe in ciuilibus actionibus fieret, magis ad ciuilem Iurisdictionem quam Criminalem & Merum Imperium pertinere visa est; in liberos autem homines castigationem nunquam his tributam reperimus, vid. *L. I. §. 7. D. de off. praef. urb.* Quod sane Praefecto Vigilum licebat circa ignem negligentes fustibus admonere, singulare est, & lege ei datum ad salutem publicam, quae volebat, ut hic negligentes stantim



tim punirentur. Adeoque in appellatione Meri Imperii, eius ratio haberi nequit. Minus adhuc eius quod Iustinianus diu post hanc appellationem receptam Defensoribus Ciuitatum modicam in omnes castigationem *Nov. 15. Cap. 6.* concefferit, ratio haberi potest. Ex quibus omnibus verosimiliter colligitur, Merum Imperium inde dictum, quod olim sola fere ea continuerit, quae magis sunt Imperii quam Iurisdictionis.

§. VIII.

Ex his iam erit probandum, minime hic excludi causae cognitionem. Quod aliqui ex verbis meri Imperii, alii ex gladii potestate conantur colligere. Et sane si vocem Imperii spectes, maxime a vera eius significatione erit alienum, causae cognitionem excludere, cum haec vox nunquam eo sensu posita inueniatur. Quia ergo Imperium aequae ac Iurisdictionis causa non cognita nullum esse potest: Neque Merum Imperium sine causae cognitione subsistere poterit. Nec verba potestatis gladii non nullis aliud suadere deberent: siquidem verbum Potestatis minime excludit cognitionem; immo contra ea gladio in neminem animaduerti potest, nisi quem causa cognita nocentem cognoueris. Neque vnquam verbum potestatis magis ac illud Imperii pro sola executione positum videbis. Immo cum e contrario etiam in ipsa Meri Imperii definitione haec potestas gladii detur *ad animaduertendum in facinorosos homines*, necessario is, qui Mero Imperio gaudet, causam



fam cognoscere & inquirere debet, an sint facinorosi, in quos ita animaduertat.

§. IX.

Neque magis obstat huic sententiae, quod in *L. I. §. 1. D. de off. eius cui mand.* Iurisdictioni videtur opponi Merum Imperium. Nam si bene verba eius textus consideres, videbis non omni Iurisdictioni, sed *Iurisdictioni more maiorum*, id est, quae more maiorum ac vi magistratus competit, seu Iurisdictioni ciuili ordinariae, opponi *merum Imperium, quod lege datur*: Dicit nempe Papinianus idem fere in hac §. 1. quod in pr. dixerat. Sc. in pr. distinxerat inter ea quae Lege, SCto caet. & ea quae iure magistratus competunt. Haec dixerat mandato transire, illa contra. Hinc collegerat exercitationem publici Iudicii ordinario non mandari. §. 1. Aliam proponit sententiam, mandararium sc. *proprium nihil habere, sed uti Iurisdictione eius qui mandauit.* Atque hinc iterum idem colligit, Merum Imperium non transire, quoniam hoc non est *eius qui mandauit*, nempe magistratus quasi adderetur proprium, sed legis quae eam magistratui dedit. Vnde apparet, *Iurisdictionem eius qui mandauit & eam more maiorum*, eadem esse, atque has voces accurate, ita vt proprietatem quandam denotent, esse accipiendas.

§. X.

Hoc modo remotis iis dubiis, quae sententiae nostrae



nostrae in primis videbantur obstare, in Mero Imperio reuera contineri causae cognitionem ex aliis textibus erit probandum. Ad hunc scopum notandum erat, gladii potestatem, nihil aliud esse, quam ipsum Merum Imperium vel ad minimum partem eius, quod tam ex hac *L. III. D. de Iurisd.* quam *L. VI. §. 8. de off. Praesid.* satis constat. Si itaque hoc certum, simul constat, gladii potestatem etiam vocari nudam cognitionem custodiarum sine condemnatione vel liberatione. Sic enim in *L. VI. pr. de off. Procons.* Ulpianus ait. *Solent etiam CUSTODIARVM COGNITIONEM mandare legatis, sc. ut praeauditas custodias ad se remittant, ut innocentem ipse liberet. Sed hoc genus mandati extraordinarium est, nec enim quis potest GLADII POTESTATEM sibi datam vel cuius alterius coercitionis in alium transferre.* Per custodias hic intelligi homines, qui custoditi asseruantur, satis liquet. Si itaque haec cognitio sub gladii Potestate seu Mero Imperio non contineretur: nulla adesset ratio, quare ex hac aliquid ad illam pertinens colligeretur. Caeterum ne vlla in hisce adfit difficultas, notandum in verbis *neque potest* tacite repetendum verbum ordinario; nam excipitur species *L. I. pr. de off. eius cui mand. Iurisd.* qua collata magis adhuc de rei veritate conuincemur. Certum etiam videtur a *Liuiio Lib. I. cap. 49.* memorante *Tarquiniū per se solum cognitiones rerum capitalium exercuisse*, per hanc cognitionem totum Merum Imperium indicatum fuisse.

§. XI.

Cum itaque ex his satis pateat, cognitionem cau-  
B
fae



fae ad Merum Imperium pertinuisse; & ex d. L. VI. & L. III. D. de Jurisd. constet, sententiae lationem; eiusque executionem in eo contineri: simul licet colligere, Merum Imperium esse causae cognitionem, sententiae lationem eiusque executionem in criminalibus magistratui competentem; seu eam, quam vocamus, Jurisdictionem Criminalem, quae vox ipsa posterioribus Interpretibus vsitata in Iure nostro haud reperitur, sed eius loco vtuntur verbis Meri Imperii & potestatis gladii. Caetera B.L. si in Naturam Meri Imperii inquirendo aliquando errasse videar: eo magis, vt aequi bonique consulas, rogo; quod rari adeo reperiantur textus, in quibus Meri Imperii seu potius huius vocabuli fit mentio.

T A N T V M.

ADNEXA DEFENDENTIS.

- I. *Transactio ob enormem laesionem non rescinditur.*
- II. *Dolus ad minimum, si negotio B. F. causam dederit, facit id ipso iure nullum.*
- III. *Querela inofficiosi est remedium rescindens & rescissorium.*
- IV. *Creditor in pignore praestat culpam leuem.*
- V. *B. F. possessor non tantum fructus industriales sed etiam naturales suos facit.*
- VI. *Vitiata pro virgine ducta potest repudiari.*
- VII. *Dos profectitia, mortua filia, etsi liberi ex matrimonio supersint, reuertitur ad patrem.*
- VIII. *Emancipati praeteriti adhuc hodie opus habent B. P. contra tabulas.*







**D**octe cum scandis iuuenis cathedram,  
Scripta defendens validè polita  
Specimen monstras studii, Mineruae  
Filius audis.

Victor ex illa rediens palestra  
Laetus es, Musae quia gratulantur,  
Plaudit arridens tibi nunc coronam  
Praebet Apollo.

Pallas acclamat meruisse natum  
Praemium laudis, gradus iste primus:  
Pergito praestans, habeas auitum  
Dignus honorem.

*Sic Frater Fratri suo Gra-  
zularur*

**PETRVS THEODORVS ANTONIVS  
GANTESWEILER, ST.**


B 2



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

D  
Offe cum...  
Sicut...  
Specimen...  
Tunc...  
Vixit...  
Iacuit...  
Haud...  
Ejus...  
Pecunia...  
Pecunia...  
Pecunia...

PETRI THEODORI ANTONII  
GANTZWEINER



679





Duisburg, Diss., 1729/81(1)


ULB Halle

3


004 527 070











III.

9

*DISSERTATIO IVRIDICA*  
SECUNDA  
DE 1752, 2  
IVRISDICTIONE  
CRIMINALI,  
SEV  
IMPERIO MERO;

QVAM  
FAVENTE D. O. M.  
PRAESIDE  
FRIDERICO GOTHOFREDO  
I. A. F. SCHLEGTENDAL  
I. V. D.

PVBlice DEFENDET  
FRIDERICVS GVILIELMVS  
GANTESWEILER  
VESALIA CLIVENSIS.  
AD DIEM MENSIS AVGVSTI MDCCLII.  
H. L. Q. S.

—————  
*DVISBVRGI AD RHENVM,*  
TYPIS IO. SEB. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.

